

PICCOLOMINI Enea Silvio

CARMINA (482 vers)



Portrait de Piccolomini, élu pape le 19 août 1458,
sous le nom de Pie II

IN CYNTHIAM

C_1 v.1 Cynthia, siqua meo debetur famae labori,
2 abs te suscipiam quicquid honoris erit.
3 Tu mihi das ipsas scribendi in carmina vires,
4 tu facis ingenium, tu facis eloquium.

5 Te duce concedunt divae in mea vota sorores,
 6 te duce Castalio somnia fonte bibo.
 7 Summa tibi, fateor, debentur praemia : summo
 8 te quoque, si liceat, carmine ad astra feram,
 9 et nostri prima venies in parte libelli ;
 10 tu mihi principium, tu mihi finis eris.

IN VIRGILIUM

C_2 v.1 Graecia praeclarum quantum laudavit Homerum,
 2 tam, Maro, te celebret turba Latina decet.
 3 Tu generi Italico, magnum decus ille Pelasgo,
 4 ille suis clarus, clarus et ipse tuis.
 5 O si millenos vixisset uterque per annos,
 6 carmine quot miro proelia clara forent !
 7 Nunc etiam credam dictetis carmina divis,
 8 ingenium tenues si quod habent animae.
 9 Ille Jovem mulcet, tua placat musa Quirinum
 10 leniturque tua Caesar et ipse lyra.
 11 Quin aliquos tandem caelo demittite versus,
 12 qui Jovis aut magni Caesaris acta ferant ?
 13 Caelicolae quondam misere ancilia ; cur non
 14 carmina de caelo mittere vestra licet ?

IN VIRGILIUM

C_3 v.1 Carmina divino referam modo pauca Maroni :
 2 quis neget egregio carmina Virgilio ?
 3 Thure pio reliquae lustrantur ab omnibus umbrae ;
 4 quique poeta fuit carmina sola petit.
 5 Vos igitur, vates, quos saecula nostra tulere,
 6 ipsius ad tumulum munera ferte, precor.
 7 Munera sint versus, et mecum dicite : "Vates
 8 qui jacet hic nostre gloria gentis erat".

IN GALATHEAM

C_4 v.1 Sunt, Galathea, novo tibi membra simillima lacti
 2 et Getica semper candidiora nive.
 3 Vir tuus, ardenti carbone et forcipe duro
 4 assuetus, faciem non ferit ipse tuam ?
 5 Basia quando dedit mixta fuligine, conjunx
 6 ne mutet niveas miror abinde genas.
 7 Cum tenet amplexus nigris tua membra lacertis,
 8 reddere te totam debuit ille nigram.
 9 Sed neque te tractat neque perguit ad oscula Drusus :
 10 protinus in Venerem viribus ille caret.
 11 Arguit intactam tota nitor in cute nam te,
 12 o nimium cupido digna puella viro.

IN CYNTHIAM

C_5 v.1 Quid nimis elata es praestanti, Cynthia, forma ?
 2 Labitur occulto pulchra juventa pede.
 3 Non ita semper eris, variatur tempore vultus,
 4 nec semper roseo splendet in ore nitor.
 5 Mane, vides, primo candescunt lilia sole,
 6 vespere succisa languidiora rosa.
 7 Te quoque destituet fugientis forma juventae,
 8 inque suos veniet curva senecta dies.
 9 Te miseram dices, rugis cum tempus arabit
 10 et faciet crispas in tua damna genas.
 11 Nunc tibi tempus adest, respondet lusibus aetas,
 12 talia sublimis tempora quaerit Amor.
 13 Te moneat facies, moneant te frontis honores ;
 14 qui perit, o, miseri sit tibi cura proci.
 15 Aspice, deficio ; morienti consule amanti ;
 16 si moriar magnum, Cynthia, crimen habes.
 17 Tu me sola potes longos deducere in annos,
 18 sola potes nostris addere, nympha, dies.
 19 Si mihi tu faveas, si me spectabis amantem,
 20 confiteor vitae spes eris una meae.
 21 Sumne adeo informis ? Nullon' sum dignus amore ?
 22 Sumne ego pro genie degener ipse mea ?
 23 O utinam facilis quantum formosa fuisses !
 24 Sic mihi tu semper, Cynthia, grata fores.
 25 Dum faciem specto, digna es quam Phoebus amaret.
 26 Majus an ipsa suo, Cynthia, lumen habes ?
 27 Et cui non placeas, cum sis placitura Tonanti,
 28 cum dederis ventis post tua terga comas ?
 29 Vel cum contextum crines nodantur in aurum
 30 membraque purpurea cetera veste tegis.
 31 Quicquid formosas decuisset habere puellas,
 32 unum si demo, Cynthia dives habes.
 33 Hoc unum est pietas, quam si modo, Cynthia, sumis,
 34 usque adeo felix semper amator ero.
 35 Ergo vale et nostro cura indulgere furori,
 36 et socies mores cum pietate tuos.

IN ARAGNEM

C_6 v.1 Phoebus in Hesperias quamquam nondum iverit undas,
 2 vidi ego jam medios luce carere dies.
 3 Tum mediam cum se niveo Latonia fratri
 4 objicit, et radios non sinit ire suos.
 5 Sic mea non umquam miserum me fallit Aragne,
 6 ante illam cum se perfida sistit anus.
 7 O te longaevae remorentur fila senectae,
 8 nec vivas cupiens nec moriari volens.
 9 Ut mihi siderei rapis, invida, lumen ocelli,

10 sic tibi jocundum subtrahat illa merum.

IN CYNTHIAM

C_7 v.1 Cynthia, pro meritis quae reddam praemia tantis
 2 quot mihi jam clauso suggeris, alma, die ?
 3 Nunc ego per tenebras et per stabula alta ferarum
 4 cogebam longas nescius ire vias.
 5 Forsitan abruptas cecidissem pronus in Alpes,
 6 aut ego jam rapidi praeda leonis eram.
 7 At tu, quae nostros miserata es, Cynthia, casus,
 8 obvia noctivagae lampadis igne venis.
 9 Qua sit iter, qua sint manifesta pericula monstras :
 10 o ego quas possum reddere, Luna, vices ?
 11 Efficiam semper tibi sit, dum forte laboras,
 12 qui superet sonitu carmina dira suo.
 13 Inde tua expediam praestanti numina versu,
 14 qualia nocte juvent, qualia luce patent.

IN PICTOREM

C_8 v.1 Dos sua, qua claram possit perquirere laudem,
 2 caelitus, ut dignum est credere, cuique datur.
 3 Atque ideo varias vitam exercere per artes
 4 cogimur, et magno fama labore venit.
 5 Bella duces fecere deos, caeloque locarunt ;
 6 hinc honor, hinc magni Caesaris astra micant.
 7 Carmina Virgilio, nomenque dedere sorores
 8 Pieriae, quod nec morte perire queat.
 9 Tullius eloquio, quem mirabatur et ipsa
 10 Graecia, dum stabunt sidera clarus erit.
 11 Est in honore suo cithara laudatus Iopas,
 12 et vivum qui de marmore duxit opus.
 13 Quid referam cunctas artes ? Mea fama per omnem
 14 it clara Ausoniam, laus et ubique mea est.
 15 Quave Polyclitus, quave est celebratus Apelles
 16 arte feram toto nomen in orbe meum.

IN CALVINUM

C_9 v.1 Sic tibi formosae placeant, Calvine, puellae,
 2 ut mihi praesenti grata Papia die est.
 3 Sic Caciена suis miserum te oblectet ocellis,
 4 ut modo me aspectu sola Papia suo.
 5 Sic tibi displiceat ciliorum frictus ut ipsa
 6 nunc visa est oculis pulchra Papia meis.
 7 Sic tibi flava Ceres et Bacchi munera prosint,
 8 ut me nunc hilarem docta Papia tenet.
 9 Sic laetus venias adopertae gaudia noctis,

10 ut mihi dulce fuit nunc Papiense solum.
 11 Ecce, Papia, malo compulsus ab omine veni,
 12 quin misero lucem, dira Papia, rapis ?

FABELLA

C_10 v.1 Urbem qua ducit Comum via forte petebam ;
 2 rure diu fueram, ruris et hostis eram.
 3 Est locus urbis, ubi rerum quaecumque vehuntur,
 4 solvitur ex lege vectigal usque sua.
 5 Huc feror, ecce (hominem quantum fortuna secundat,
 6 atque eadem adversa est !) me pia poscit anus :
 7 "Vir, pete cur ploret quae nostro est advena tecto".
 8 Dixerat et juxta forte puella sedet.
 9 Hanc digito signat ; forma fuit illa decenti,
 10 quae visa est Daphne, seu Philomena mihi.
 11 Ter quinos neque enim plures impleverat annos,
 12 vix fuit amplexu digna puella viri.
 13 Illa in terram oculos lacrimis humecta tenebat,
 14 et mentem misere durus habebat amor.
 15 Vultus erat qualem facit ipsum affata parentem
 16 aut Venus, aut patrio vertice nata dea.
 17 Caetera non vidi, sed quae manifesta patebant
 18 indicium pulchri corporis ora dabant.
 19 Tum "Mea nympha, precor," (Germana voce locutus
 20 barbariem docuit me Basilea prius)
 21 "quis te casus habet ? Quae te fortuna remotas,
 22 ignaram linguae, cogit adire domos ? "
 23 Illa proci lacrimis motam se et fraude relictam
 24 et quae praetereo plurima damna refert.
 25 "Heu formae miserere meae, miserere juventae :
 26 hei mihi ne noceat, si pia forte fui.
 27 Te sequar, in casus veniam quoscumque vocabis,
 28 siqua mihi tecum gracia", dixit, "erit".
 29 Non sum marmoreus nec tigride natus, ut ipsis
 30 non movear precibus, non movear lacrimis.
 31 Ergo iter obverto, hic obliqua est semita, quam nec
 32 plaustra petunt, quam nec saepe viator adit.
 33 Hac iter ad portam quae juncta est principis arcis, hoc ?
 34 Et vetus externa nomen ab urbe trahit.
 35 Huc agor et pone sequitur mea nympha, meum cor,
 36 vixque meum crebris passibus aequat iter.
 37 Ventum erat ad medium, silva cum prodit opaca,
 38 et tacitus post me faunus ab inde venit.
 39 Hanc rapit et lucis amplexam condidit atris :
 40 me miserum, nec post visa puella fuit.
 41 Ut flevi, utque oculis largus defluerit imber.
 42 Quid referam ? Volui dilacerare genas.
 43 Haud aliter raptum dilectae conjugis Orpheus
 44 sensit et irato pectore fata tulit.
 45 Sed quid flere juvat ? Fatorum immobilis ordo est,
 46 nec superum nostras audiet ira preces.

IN LISIAM

C_11 v.1 Lisia, quid redolet ? Sapit haec tibi, Lisia, mella ?
 2 Et reris soli grata sit illa tibi ?
 3 Atque tuam reputas ? Tamen haec in fornice vivit
 4 et tua non vultus diligit illa tuos.
 5 Ac, si quem illa colit, non te puto diligat illa ;
 6 alter inest oculis gratior usque suis,
 7 quem nosti et tecum ducit noctesque diesque
 8 et simulat quod se nulla puella velit.
 9 Ut tibi vera loquar, meretrix est ; ergo mariti
 10 jura negat, multos nunc habitura procos.
 11 Lisia, si placeat, placet haec tua, Lisia, multis,
 12 sed magis illa colit, qui magis inde dabit.

IN BARTHOLOMEUM

C_12 v.1 Bartholomee, sacros nequeo tibi mittere versus,
 2 nomine versiculos impediante tuo.
 3 Nil habeo reliquum, quo possim quaerere amicos,
 4 si desit nostris scripta tabella modis.
 5 Ni te scribendo, ni te mihi carmine jungam ;
 6 dic mihi, quo possim jure placere tibi.
 7 Ast ego si scribam perturbor Bartholomeo,
 8 nomine non suavi conveniente lyra.
 9 Te precor ergo aliud levius tibi nomen adoptes,
 10 quod valeam numeris inseruisse meis.

EPITAPHIUM

C_1 v.1 Hic tegor haud ulli scelere et feritate secundus ;
 2 corrupta est vitio multa puella meo ;
 3 quotque habui digitos, totidem sub Tartara misi
 4 nocte una illustres proditione animas.
 5 Sed tandem occubui, poenaeque affligor acerba :
 6 sera licet superum est, non fugit ira malos.

IN CORINUM

C_14 v.1 Minxerat hic Helene mediamque ambiverat urnam,
 2 quae tota est capiti fusa, Corine, tuo ;
 3 hic dedit Andromache calidum et Philomela liquorem,
 4 hoc tulit epotum Lesbia vase merum ;
 5 hic Daphne atque aliae tenerae minxere puellae ;
 6 urina haec lenam tinxerat uda tuam.
 7 Proh scelus infandum ! violae haec et lilia naso
 8 pelvis odoranti debuit esse tuo :

9 quod quereris, magno aere procus quaesisset et ipsa
10 vessica missam forte bibisset aquam.

IN AXERETUM

C_15 v.1 Ipse pios quoniam colis, Axerete, poetas,
2 carmina et ipsa tuo semper in ore sonant,
3 mirabar, quod te summa cum laude ferebant
4 scire sub infesto belligerare mari,
5 et quia te magnos traxisse ex hoste triumphos
6 fama refert, musa te comitante tua.
7 Mira quidem res est nostroque remotior aevo,
8 carmina pugnaci collibuisse viro.
9 Vidi ego magnanimos, quos fama ad sidera tollit,
10 et qui sunt vulgi semper in ore duces,
11 omnibus invisos sese praebere poetis,
12 atque ipsos patria cogere abire sua.
13 "Ite procul", saevus dicebat Clodius olim,
14 "ite alio, vates, carmina ferte alio.
15 Frigoris expertes tecto gaudetis et umbra :
16 qui faciet versus ? Quis nisi potus erit ?
17 Nos patriam et sanctos tutamur ab hoste penates,
18 nostraque communes dextera servat opes.
19 Vos odi, imbelles, alieno parta labore
20 sumentes, et quos carmina sola juvant.
21 Quod si vos adeo oblectant versusque lyraeque,
22 ite et carminibus pascite corpus iners".
23 Haud ignota cano, nostraque aetate probatum est,
24 ingenium armato displicuisse duci.
25 Cur igitur mediis colit Axeretus in armis
26 Aonidas, Vegium (nam tuus ille) peto.
27 Tum Vegius (de te sermo nam forte vicissim
28 constiterat) laudes incipit ipse tuas.
29 "Axeretus", ait, "priscae virtutis utramque
30 (quod modo quis credat ?) maluit ire viam.
31 Scilicet et Musas complexus et arma, comanti
32 ornatus galea versat in ore modos.
33 Et modo Virgilii, nonnumquam gaudet Homeri
34 versibus, historiam nec minus inde legit.
35 Ni mirum sanctos si diligit ille poetas :
36 est hominis caros semper habere pares.
37 Sic placuere bonis quondam ductoribus ipsi
38 vates, quod docti saepe fuere duces.
39 Doctus erat Caesar, de se qui scripsit, et heres,
40 narravit vitae qui benefacta suae.
41 Ducebant veteres scitos in proelia vates,
42 qui canerent sacris bella gerenda modis.
43 Noverunt quantum divina poemata possent,
44 quotque duces faciat vivere Virgilius.
45 Mutavit priscos hominum vecordia mores,
46 jam dudum in castris nulla Minerva fuit.
47 Ille autem nostro similem non invenit aevo,
48 atque ideo laudis dignior ipse meae est.

49 Quem si carminibus, si laudo aliquando libellis,
 50 ni mirum, raros vult mea musa viros".
 51 Sic Vegius : tum me virtutem accendit in ipsam,
 52 accendit mirae laudis amore tuae.
 53 Inde velim (si quid facies mea carmina) nomen
 54 saepe tuum scriptis inseruisse meis.

IN CYNTHIAM

C_16 v.1 Qui miserum totiens expertus jam sit amorem,
 2 cur iterum laqueos incidit ille novos ?
 3 In foveam quotiens lapsa pede fluxit asellus,
 4 haud iterum tales nititur ire vias.
 5 Ast ego quid sit amor, quid dura incendia novi,
 6 et quot mortifero sint in amore doli.
 7 Et tamen infelix iterum compellor eodem,
 8 cogor et antiquo subdere colla iugo.
 9 Tantum sola potes in me, quae sidere quo vis,
 10 Cynthia, me ducis, Cynthia, meque trahis.
 11 Stare tua haud contra possum vel tela, vel artes,
 12 et si me ludis, ludier usque juvat.

IN MENTINUM

C_17 v.1 Cur iterum atque iterum vacuo, Mentine, cerebro
 2 ambitur passu Laurea diva tuo ?
 3 Quid tibi vis hominum ? Quid habes quod diligat in te,
 4 Laurea, qua forma es ? Qua probitate vales ?
 5 Nigrior es corvo, Stygia pallentior umbra ?
 6 Quale tibi ingenium, quale tibi eloquium est ?
 7 Tu sibi te Paridem, placidumve putas Ganymedem,
 8 et versas totum pectore Aristotelem.
 9 Falleris, ipsa tuo non stat sapientia sensu,
 10 non est iudicio pulchra Diana suo ?
 11 Quin tu aliquid peragis, quod te, dum creverit aetas,
 12 nutriat et senium claudat honore tuum ?
 13 Desine fallaces temptare Cupidinis artes :
 14 laurea caelestis digna furore proci est.

EPITAPHIUM

C_18 v.1 Discite nunc ex me, vitae quem paenitet actae,
 2 qui male deduxi tempora longa, senes.
 3 Si magis, aut ipsum vixissem Nestora totum,
 4 nil tamen in melius reddita vita foret.
 5 Nec me mortali credebam sanguine cretum,
 6 nec nostrum rebar posse perire genus.
 7 Fallebar, quoniam, vita defunctus iniqua,
 8 hic tegor : ast animae quae mala sint taceo.

9 Vos igitur moneo, quamvis breve tempus habetis,
10 id quoque (nam sat erit) reddite sponte Deo.

IN CYNTHIAM

C_19 v.1 Cynthia, quid ploras ? Nitidos quid turbat ocellos ?
2 Quis modo te fletus ? Quis modo languor habet ?
3 Si tibi deformis facies invisita mariti,
4 si dolor inculto est concubuisse viro,
5 desine flere, precor, ne sit tibi causa dolendi
6 abs te quod magni debuit aeris emi.
7 Nam potes acceptas a corruptore tabellas
8 et legere et pulchro reddere verba proco.
9 Ipse, licet norit quod te formosus adulter
10 tractet adhuc, molli pectore cuncta feret.
11 Femina deformi vidua est quae nupsit amanti
12 proque suo poterit se gerere arbitrio.
13 Saepe licet videas turgescere conjugis ora,
14 victa supercilio mox cadet ira tuo :
15 ipse petet veniam tanquam peccaverit et te
16 laeserit, et quicquid poscitur inde dabit
17 atque tuo tantum contentus vivet amore,
18 nec petet assiduis tecta aliena dolis.
19 Formosum contra si sis sortita maritum,
20 te miseram quantis falleret ille modis !
21 Non tibi, sed multis natum se crederet et quod
22 das modo sola, daret plurima turba sibi.
23 Forma viri nuptis nimium est damnosa puellis.
24 Quam dolet Oenone substinuisse Parim !
25 Jupiter ut nulli placeat Saturnia vellet,
26 egregium Aeneam plorat Elissa suum.
27 Ergo tuo inculto vivas contenta marito
28 et tibi quod desit mox aliunde pete.

IN CALCIOPEM

C_20 v.1 Calciope, o fer opem, tacito ne vulnere Petrus
2 occidat ; egregio parce puella proco.
3 Da sibi quod postquam dederis, mira arte juvabit,
4 et dices : "Tacui quid male sana diu ? "
5 Experiere pio quanta est in amore voluptas ;
6 gaudia mille dabis, gaudia mille ferēs.
7 Dulce rogatur opus, rerum nec dulcior ulla est,
8 quam semel ut dederis saepe dedisse voles.
9 Et quis erit primos dignus decerpere flores ?
10 Si Petrum expendis undique, Petrus erit.
11 Ac mihi si carum serves a morte sodalem,
12 in caelum calamo diva ferere meo.
13 Sin pereat, totum contra te Acheronta movebo,
14 et faciam versus in tua damna sacros.

IN CYNTHIAM

C_21 v.1 Uror, et accenso nulla est medicina furori,
 2 nulla meo medica est herba reperta malo.
 3 Aegrotus si forte fuit, valet esa leoni
 4 simia virosas restituisse vices.
 5 Pardus edit capreas, si quis sibi langor, agrestes ;
 6 inventa est morbis haec medicina suis.
 7 Dictamnus, tergo si quando haesere sagittae,
 8 silvestrem mira liberat arte capram.
 9 Quaerit item ramos frondentis cervus olivae,
 10 languidus ut magno forte dolore fuit.
 11 Ursus adit foveam, qua se formica recludit,
 12 et quanta est illic lingua per ora patet.
 13 Illa putat carnes, et amatam currit ad escam ;
 14 fallitur, et vasto pectore clausa perit,
 15 et magnum veteri morbo sic liberat ursum,
 16 morte sua infelix damna aliena levat.
 17 Denique cunctarum canis est medicina ferarum
 18 sanguis, et his caeso redditur hoste salus.
 19 Norunt quaeque suis animalia quaerere morbis
 20 auxilia, et nullum fallitur inde pecus.
 21 Ast ego si norim quod sola est Cynthia nostri
 22 causa mali, quae me sola beare potest :
 23 illa tamen nostros nulla juvat arte labores,
 24 et cruda auxilium saepe rogata negat.
 25 Non ego magna peto, neque mortem, Cynthia, posco,
 26 diva, tuam ; facile est quod, mea nympha, rogo :
 27 scilicet ut nostro liceat dare tempus amori,
 28 sic dabis ut fiam, Cynthia, salvus opem.

IN COTTAM

C_22 v.1 Gallorum magno quae mittam carmina regi,
 2 erroris, Cotta, respice si quid habent.
 3 Doctus es, et cithara te etiam donavit Apollo,
 4 et tua cum sanctis vatibus aucta domus.
 5 Ne referam multos : quid avunculus ? Ille deorum
 6 colloquio suavi carmine vinctus erat,
 7 quem decus Etruscis atque indelebile nomen
 8 aeternum faciens, traxit in astra Deus.
 9 Huic similis fies, paribusque imitabere vatem
 10 versibus, et nomen non tibi dispar erit,
 11 nam tua jam virtus clara est, omnesque fatentur
 12 quid valeas prosa, carmine quid valeas.
 13 Inde meas poteris musas trutinare : lege ergo
 14 carmina iudicio discutienda tuo.

IN AMOREM

C_23 v.1 Quid me ludis, Amor ? Quid me, saevissime, cogis
 2 in mea letifera currere fata manu ?
 3 Dure puer, dura natus de matre, Cupido, es ;
 4 non dii, sed rabidae te genuere ferae.
 5 Aut ego te rigido natum de marmore credam,
 6 durius en ipso marmore pectus habes.
 7 Aut Hyrcana tibi concesserit ubera tigris,
 8 vel, quae te genuit, saeva leaena fuit.
 9 O miserum, qui te superum dignatur honore,
 10 et tua fumifero numina thure rogat.
 11 Surdus es, et geminas rogitantibus obstruis aures ;
 12 caecus es, et nullum, qui roget, usque vides.
 13 Si deus ipse fores, si certum numen haberes,
 14 qui modo saepe nocet, saepe juvaret amor.
 15 Jupiter ipse deus quoniam juvat aequus Olympo est,
 16 nullaque caelesti numina ab axe nocent.
 17 Dii faciles homini sunt, et pietate moventur,
 18 exaudire preces votaue digna solent.
 19 Supplicibus grata respondet corniger Hamon
 20 voce, nec orantes spernit Apollo suos.
 21 Atque ideo veteres statuere altaria divis,
 22 et posita est ipsis hostia caesa deis.
 23 Sed tu sponte noces, precibus nec flecteris ullis,
 24 quas ego nocte fero, quas ego luce fero.
 25 Dure puer, dura natus de matre, Cupido, es ;
 26 non dii, sed rabidae te genuere ferae.
 27 Fletibus heu quantis oneravique aethera votis,
 28 qui potui lacrimis saxa movere meis.
 29 Solus Amor tacuit, mecum flevere leones,
 30 et visa est gemitus silva dedisse pios.
 31 Haud aliter saevo cum Gallus amore periret
 32 Menalus, et lacrimas saxa Lycaea dabant.
 33 Quid cupis ? Ipse semel dixisses, improbe, saltem
 34 qui perit, ex multis pauca rogasset amans.
 35 Scilicet ut posset vitae quod denique restat
 36 ducere ubi est fletus Cynthia causa sui.
 37 At procul exagitor, procul hac me pellis ab urbe,
 38 me procul ab domina cogis abire mea.
 39 Nec te noster amor duraeve inflectere flammae
 40 ulla potest pietas, insidiose puer.
 41 Insidiose, tuos audes vexare poetas :
 42 nimirum divos laedis, inique puer.
 43 Te pater ipse timet Mavors, qui proelia miscet,
 44 et te dii pelagi, dii barathrique timent.
 45 Dure puer, dura natus de matre, Cupido, es ;
 46 non dii, sed rabidae te genuere ferae.
 47 Debueras saltem nostri meminisse libelli,
 48 quo cecini laudes, perfide, mille tuas.
 49 Parce, puer, non te dum scripsi carmina noram ;
 50 quas dederam laudes non tibi conveniunt.
 51 Haud iterum nostro, puer, hoc laudabere versu,
 52 crude puer, fueram quem ratus esse pium.
 53 Ah ! sinis insontes leto succumbere amantes,

54 me sinis indigna morte perire, puer !
55 Mille fero en mortes, vivo moriorque vicissim :
56 vita mihi mors est, mors mihi vita foret.
57 Quam video nusquam videorque videre puellam,
58 saepe sua ante oculos currit imago meos.
59 Et visa est niveis mecum pugnare lacertis ;
60 fallor, et amplexus effugit umbra datos.
61 Continuo excrucior, lacrimae volvuntur inanes ;
62 o numquam misero visa sit illa mihi.
63 Hei mihi, quid volui ? Quae tanta insania menti est ?
64 Nescio quid fugiam, nescio quidve petam.
65 In partes animum varias mentemque voluto,
66 haud scio quae demum vita futura mea est.
67 Dure puer, dura natus de matre, Cupido, es ;
68 non dii sed rabidae te genuere ferae.
69 Me quoque dum pereo, superi, defletis, amantem
70 flet genus omne hominum, flet genus omne avium.
71 Solus, Amor, rides, tibi sum comoedia soli ;
72 mene etiam laetus fraude perire tua es ?
73 "Hunc meus arcus", ais, "transfixit arundine, cujus
74 vulnera cum Phoebus Jupiter ipse timet".
75 Nec tuus arcus erat, posset qui laedere nunc me ;
76 scis mea quot laqueos fregerit ira tuos.
77 Una fuit nostras posset quae incendere flammam,
78 hujus et auxilio fretus in arma ruis.
79 Illa tuos arcus, celeres capit illa sagittas,
80 transadigit costas Cynthia sola meas.
81 Cynthia sidereis miserum me infixit ocellis,
82 (hoc fateor) precibus mota puella tuis.
83 Haec mihi pro meritis referuntur praemia tantis.
84 Vis ut amem ; quod amem posse videre negas.
85 Quin peream potius ? Vitamque extinguere dextra
86 praestat ; abi, jam te, quo velit ira, sequar.
87 Dure puer, dura natus de matre, Cupido, es ;
88 non dii, sed rabidae te genuere ferae.
89 Discite nunc ex me, juvenes, ne credite Amori :
90 lurida sub dulci melle venena latent.
91 Dum novus est ignis, crescenti obstate furori :
92 qui novus est, modica vincitur ignis aqua.